



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

10. Canis & porci fabula, macilentis & pinguibus accommodata.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45653**

Gen. 40. 13. vtrum consultius? diuitem esse, an pauperem? saturari, an macerari? O quantam hinc ganeones, Eucliones, Vitellij, epulones erubescendi atque se se submittendi causam habent? quantum macilenti, Iri, esuriones solatium! Si in eodem carcere duo sint, quorum alteri suspendium à magistratu significatum; alteri dimissio ac libertas; vter plus gaudet, vel dolet? Pincernæ in vincula dato Ioseph prædixit, post tres dies, in pristinum gradum restituendum; pistori, post tres dies, ad coruos iturum; cum vtro tu esse voluisses? nonne cum pincerna? At quid Christus diuitibus & splendide epulantibus, quid pauperibus & tenui victu vitam sustentantibus dixerit, audiuisti: cum quibus igitur censeres fortunatius agi? Nonne insania est, diuites quosdam de æterno supplicio, quò sunt certiores, eò esse superbiores? Diogenes, sceleroso cuidam, probri gratia, obijcanti paupertatem: *ob paupertatem*, inquebat, *neminem vidi torqueri, ob malitiam multos*; neque in gehenna quisquam torquetur ob abstinentiam exquisitorum ciborum; torquebuntur autem multi, quia *epulati sunt quotidie splendide*.

X.

Quadrat huc fabula rustici porcum & canem alentis. Canis interdiu ouium gregem cogebatur comitari in pascua; contra lupos & aliarum ferarum incursus pugnare; sustinere æstum & frigus; nimbos & niues pati; tolerare famem & sitim. Nam totis diebus, vix buccem panis à pastore accipiebat; & plerumque, vbi etiam bestiarum dentibus saucius oues domum reducebat, præter arida ossa, vix quidquam obsonij accipiebat, quod roderet. Porcus verò genio indulgens & cuticulam suam curans, ( si tamen non corium potius ) totus ocio & sagina pinguescebat; interdiu semper in cæno & pastu, noctu, in stramine & somno; cum cani præ foribus excubandum, & contra fures indefinenter peruigilandum esset. Impatientia ergo tandem, atque inuidia stimulatus Hylactor, non sine eiulabili latratu, rustico exprobrauit rei indignitatem, vt qui setosum, foedum, otiosum, pigrum atque inutile animal, pinguisimis ossis, delicatè nutriret, fidelissimo autem custodi domus ossa duntaxat obijceret, & indurata panis frustra, quæ alius nemo comessè vellet. Huic colonus, ne succensesas, inquit, mi fidelis, sed diem crastinum expecta, & videbis hunc tam obesum porcum in cædem saginatum, cum tibi macilentum viuere licebit. Altero die cum canis videret lanionem culetro,

tro, primùm in iugulo porci, mox etiam in ventre & vntissimo lardo, totisque intestinis cruentissimè ludentem, subiectaque sartagine sanguinis riuos excipientem, nequicquam bestia miserabilissimè grunniente, dixit: Si hic saginæ finis est, nolo saginari; mágis mihi profunt ossa & mucidus panis. Non longo epimythio opus est huic Apologo. Audite omnes pingues terra: *Hec dicit Dominus Deus ad vos: Ecce ego ipse iudico inter pecus pingue, & macilentum. Quo modo autè iudicat? Homines cum irascuntur, subducunt seruis, aut filijs cibum; Deus iratus nouit cibum dare abundantiozem. Mirabile exemplū Israëlitarum, qui in iram excitauerunt Excelsum in iniquo, & tentauerunt Deum in cordibus suis: vt peterent escam animabus suis. Et malè locuti sunt de Deo. Idè audiuit Dominus, & distulit: & ignis accensus est in Iacob, & ira ascendit in Israël. Et pluit super eos sicut puluerem carnes: & sicut arenam maris volatilia pennata. Et ceciderunt in medio castrorum eorum, circa tabernacula eorum. Et maducauerunt, & saturati sunt nimis, & desiderium eorum attulit eis: non sunt fraudati à desiderio suo. Adhuc esca eorum erant in ore ipsorum: & ira Dei ascendit super eos. Et occidit pingues eorum. Vides, quid iratus faciat Deus? pingues finit fieri homines, sed pingues occidit; dum parcit ijs, qui vix ossibus hærent. De tali porco occiso legimus & alibi, cuius ipse Samuel egit lanionem: Dixitque Samuel: *Adducite mihi Agag regem Amalec. Et oblatu est ei Agag pinguisissimus & iremens. Et in frustra concidit eum Samuel coram Domino in Galgalis.* Ne dubitate, vitiosè pingues, ex adipe vestro æternus ignis plus alimenti, est habiturus. Bene confidite, macilenti ieiunijs; plus & valetudinis & virtutis habet, qui sic minus habet in cute pinguedinis.*

Psal. 21. 30.  
Ezech. 34.  
20.

Psal. 77. 17.

1 Reg. 15. 32

Qui homini dixit: *sine iudicio, nihil facias graue*, an ipse sine iudicio patietur amicos suos esurire, saturari inimicos? opes his, tanquam maius beneficium, dabit, illis negabit? nequaquam. Maius est beneficium minus habere. Plerumque qui diuitijs, idem & vitijs vicinior est. Paupertatem Diogenes appellabat virtutem *αὐτοδιδασκαλία*, id est, *quæ per se discitur*, seu potius *virtutis magistram*. Diuitibus opus est multis præceptis, vt frugaliter viuant; vt corpus exercent; vt laborent; ne vestium ambitioso cultu delectentur; ne potus cibique intemperantia, in lites, iurgia, homicidia, aliáque innumera mala prolabantur: quæ omnia se ipsam docet paupertas. Apud diuites, *libère & licere, idem est*. Paupe-

XI.  
Eccli. 33. 30.